



Disputatio medica inauguralis de chlorosi

<https://hdl.handle.net/1874/341838>

10

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CHLOROSI,

QVAM
SUMMO FAVENTE NUMINE
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSSI,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICA Honoribus, & Privilegiis
ritè, & legitimè consequendis,

Publicæ Examini subjicit

JOSEPHUS ANDERSON, ANGLUS.

Ad diem 9. Junii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz
Typographi, clc Ioc LXXXVI.

Clarissimo & generoso

V I R O

**D. ALLAN LAMONT
ARMIGERO,**

*De se ob singularem ejus humanitatem
optime merito.*

*Tenues hasce studiorum suorum primitias in
gratum animi indicium.*

Humillime offert

JOSEPHUS ANDERSON.

Auctor & Defendens.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHLOROSI.

Proemium.

um leges hujus Academiæ ita se
habeant, ut unusquisque speci-
men aliquod studiorum suorum in
lucem proferre debeat, antequam
laurea doctorali coronatur. Mibi
Chlorosin enodare, quantum inge-
nii mei tenuitas fert, selegi. Faxit Deus, ut sit
in nominis sui gloriam, proximi salutem, &
studiorum meorum incrementum.

Absq[ue] ullis itaque ambagibus ad propositum me
accingam, & illud quam breviter possim trah-
bo 1º scil. Chloroseos naturam pro virili explica-
bo. 2º ejus causas, proximam scil. & remotas al-
legabo. 3º & ultimo curationem brevem subjun-
gam.

4 DISPUTATIO MEDICAD

THE S I.

Rer Chlorosin hic, intelligo fœdum istum foemina-
rum (virginum dicam) colorem, variis concomi-
tantibus symptomatis. Fœdum colorem dico, quo-
niā in diversis subjectis variat; (prout scil. humo-
res per superficiem corporis circulantes quoad mix-
turam sese habent) in quibusdam enim pallidus est, in aliis sub-
flavus, in aliis plumbeus, sed ut plurimum subviridis, unde
 $\chiλωροσις$ (quod morbum viridem denotat) & Anglice, *the Green-sickness*.

I I.

Præcipua hujus affectus symptomata, sunt color ille fœdus,
cum partium externalium intumescentia quadam & mollitie.
Motus gravis. Dyspnæa, post notum aliquem corporis solito
majorem ingravescens. Appetitus dejectus. Somnus gravis &
profundus. Cephalalgia. Menses obstruuntur. Fœbriscula læpe ad-
est, interdum adsunt Vertigines, & nausea in vomitum tendens.

I I I.

Horum symptomatum causa proxima est sanguis nimis crassus
& viscosus existens.

I V.

Videamus nunc, unde sanguis crassitatem hanc & viscositatem
contraxit; seu quænam sint morbi causæ remotæ. Sed hic operæ
præmium erit verbum unum aut alterum de sanguine in naturali
suo statu præfari, ut sic melius dignoscamus quæ ejus statum
præternaturalem inducere queant.

V.

Sanguis itaque est humor; non simplex, sed valde hæterogeneus;
particulis scil. variis & maxime diversis constans; uti li-
quet tam ex diversitate alimentorum, quæ assumimus (quorum
singula indefinitam particularum varietatem in se complectuntur)
quam ex sanguine ipso analysi chymicæ exposito. Hæ tamen
particulæ ad sequentia capita reduci possint, salinas scil. acidas, ter-
reas, aquæs, oleosas, & gummosas. Et ut sanguis rite se ha-
beat, & potentem in corde fermentationem faciat: requiritur in
unaqua-

unaquaque ejus gutta justa omnium harum particularum proportionem; salinæ scil. ad acidas infringendas; Acidæ ad salinarum dimanationem refringendam, oleosæ ad impediendam salinarum & acidarum corrosionem; Terreæ ut aliarum volatilitatem refrinant; Aqueæ ut sint reliquis vehiculum; & denique gummosæ ut quasi amplexu suo cæteras particulas in debita mixtura conservent: alias enim a se invicem facile secessum facerent, & varia incommoda inducerent; ut sæpe accidit dum hæ particulæ deficiunt, aut in minore quantitate quam par est, adsunt.

V I.

Ut itaque particulis his justam proportionem inter se servantibus, adest sanguinis, status naturalis: sic quamprimum una v. g. illarum species hanc proportionem excedit, oritur ejus status præternaturalis, ut si particulæ salinæ abundant suboritur intemperies sanguinis salina, & multa mala illam insequentia, quæ quoniam ad propositum minus faciunt, brevitati studens, hic omitto. Si vero duæ species abundant, oritur intemperies duplex; uti v. g. si particulæ terreæ & gummosæ reliquias superant (ut impræsentiarum) exurgit intemperies crassa & viscosa.

V I I.

Sed ut ad hujus intemperiei causas investigandas progrediar; ille petendæ sunt ex classe rerum non-naturalium, quales sunt.

1. Aer, videmus enim corpora nostra diversimode alterari, prout scil. aer se habet: cum itaque crassior existit, foeminarum fermentationes (quæ naturaliter debiles sunt) facile destruit, particularum in sanguine activarum vim infringendo. Experientia etiam idem clamat, nam notum est foeminas plagas septentrionales (ubi aer crassior est) habitantes, huic affectui magis obnoxias esse, quam quæ plagas meridionales colunt, ubi aer magis subtilis est. Præterea quædam Chlorosi laborantes post varia medicamenta frustra exhibita, tandem aeris mutatione ad sanitatem restituuntur, (uti practici docent) sed de hoc satis.

2. Alimenta crassa & viscosa idem præstant; à crassis enim alimentis crassus generatur chylus, consequenter & sanguis. Idem dici potest de alimentis in nimia quantitate ingestis, que ideoque in laudabilem chylum reduci non possunt.

A 3

3. Quies

6 DISPUTATIO MEDICA

3. Quies ad intemperiem hanc introducendam sine dubio multum confert; videmus enim foeminas quæ vitam magis sedentariam agunt, & exercitiis moderatis non utuntur, huic morbo multo magis abnoxias esse, quam laboriosæ & exercitiis utentes. Rationi etiam consentaneum est: nam a quiete seu minori motu sanguis incrassescit.

4. Excreta eandem introducant, ut v. g. fluxus menstruus aut lochiorum nimius, vel hæmorrhagia aliqua alia notabilis: ab his enim hæmorrhagiis multum sanguinis deperditur, ita ut qui in vasis remanet, illa non valet distinta servare, sed in extremitatibus subsidunt, hinc sanguis per has partes non libere circulatur, sed remoram faciens, incrassescit (particulis ejus volatilibus avolantibus) cum vero a singulis pulsibus ulterius & ulterius propellitur, tandem ad cor iterum reddit, & reliquum sanguinem inficit, illum crassorem reddens.

5. Denique animi pathemata, ut v.g. amor; si enim finem non obtinet, tristitiam infert; hinc fermentationes languent, & sanguis crassior indies evadit.

Reliquæ etiam res non naturales hanc intemperiem adaugent, ut motus nimius, & vigiliæ immodicæ, unde multi spiritus consumuntur. Somnus nimis diutinus, qui motum sanguinis minuit, consequenter & illum crassorem reddit. Excretiones naturales suppressæ, ut suppressio mensum: plurimi sunt qui hanc unicum Chloroseos causam agnoscent, quod fieri non potest, nam multæ puellulæ hoc affectu laborant, in quibus nulla suspicio est mensum suppressorum; siquidem ad istam ætatem nondum pervenerint. Mihi vero potius videtur Chloroseos tantum symptoma esse, ab eadem causa cum reliquis symptomatis procedens; non nego tamen quin morbum adaugeat, uti & reliquæ evacuationes naturales suppressæ.

V III I.

Ex enarrata sanguinis intemperie prædicta symptomata jam deducere conabor.

Color itaque ille foedus oritur, ex eo quod multa vasæ capillaria cutem perreptantia obstruuntur (fieri enim non potest quin ex crasso isto sanguine multæ obstructiones hic & illic generan-

nerantur, sed præcipue in superficie corporis ubi vasa minora sunt, & a corde remota, præterea aeris externi injuriis exposita) ita ut sanguis qui colorem naturalem (una cum limpha) cuti conciliat, per ea in tota sua mixtura circulare non potest.

Nec aliam causam agnoscit partium externalium intumescentia & mollitries, quam quod humores per has partes libere circulare non possunt, sed hic & illuc in motu impediti partes circumjacentes distendunt; hinc intumescentiam illam, & (cum manu tangenti facile cedunt) mollitatem inferunt.

Motus gravis originem suam debet partim paucitati spirituum una cum eorum crassitie (a sanguine enim crasso pauci spiritus generantur, & qui generantur crassiores existunt, consequenter ad motum minus apti sunt) partim obstructionibus in aut circa nervos, vel in muscularum tubulis existentibus; ita ut spiritus (unde omnis motus perficitur) ægre in illos influant.

Eandem etiam causam agnoscit dyspnæa partim scil. paucitatem spirituum una cum eorum crassitie, partim obstructiones in partibus respirationi inservientibus existentes. Ingravescit post motum aliquem corporis solito majorem, quoniam a motu isto sanguinis motus augetur; unde majori impetu in pulmones ruit, sed cum crassior existit, per minima eorum vascula non libere transit: hinc illa distendit & cellulas aeras angustat, unde respiratione difficulter redditur; adhuc, pulmones sanguine repleti dia phragma deorsum premunt.

Appetitus dejicitur, quoniam fermentum laudabile in ventriculo non deponitur: à crasso enim & viscoso sanguine qui humores fecernuntur crassiores & viscidiores etiam existunt (nam qualis sanguis, tales humores ab eo separantur) consequenter & fermentum ventriculi, unde minus aptum est ad cibos rite concoquendos, hinc reliquæ quædam minus coctæ in ventriculo remanent, quæ ei molestiam inferunt, unde nausea; quæ postea (causâ auctâ) in vomitum tendit.

Somnus profundus, oritur a paucitate & crassitie spirituum; præterea nervi sine dubio materia viscosa infarcti sunt, unde spirituum in illos ingressus non ita facilis est.

Cephalgia, procedit ab obstructionibus hinc inde in cerebro
& me-

8 D I S P U T A T I O M E D I C A

& meningibus a crasso & viscoso hoc sanguine genitis.

Mensium obstructio originem debet partim obstructionibus in vasibus capillaribus uteri existentibus, partim sanguini crasso & viscoso phasisibus lunæ non auscultanti.

Febricula oritur ex eo, quod humores in partibus solidis stagnantes, circulatione sanguinis ex partibus istis eluuntur & ad cor advehuntur, qui, cum stagnatione sua aliam naturam induerunt, in sanguine effervescentiam insolitam excitant, unde febris.

Vertigines denique procedunt a paucitate & crassitie spirituum, qui spiritus ideoque non ita prompte poros cerebri aperire possunt, hinc reflexi in circulum aguntur, & sic vertiginem excitant.

I X.

Explicatis Chloroseos symptomatis & causis; ad prognosin transeo. Est igitur affectus (si recens) non valde periculosus, nec curatu admodum difficilis: si vero altas egerit radices, non tantum curatu difficilis est, sed etiam periculosus existit; aliquando enim in anasarcam vel hydropem tendit, interdum sterilitatem aut prolis morbositatem inducit, imo quandoque in uteri tumorem, scirrum, vel gangrenam degenerat. uti practici docent.

X.

Restat tandem Curationem brevem subjungere: quæ perficienda est secundum indicationes sequentes; crassus scil. & viscosus sanguis est incidentus & attenuandus, & obstructions sunt tollendæ.

X I.

In hos fines, conveniunt medicamenta sale volatili aut fixo abundantia; qualia sunt Rad. acori, angelic. chinæ, costi utriusque, enulæ, eringii, gentian. imperat. levist. phu, rad. quinque aper. saffparillæ scyll. serpent. virgin. Corc. aurant. lign. guajac. rad. cappar. tamarissi. Lign. guajac. juniperin. saffrafras. Herb. absinth. beton; card. bened. centaur. min. lauri folia, menthæ species, thymus. Sem. ammeos, amom. anis. cardamom. utriusque, cardui, carui, fænicul. juniperi & lauri baccæ. Chalybs & quæcunque ex eo præparantur, ut vin. chalybeat. syrupus &c. Tartarum, sal. armon. & similia.

XII. His

X I I.

His adjungi possunt quædam, quæ ob certam particularum figuram, magis videntur convenire poris corporum fœminarum, sed præcipue uteri (in quo multæ sine dubio obstructiones existunt: uti testatur pertinax ista mensium obstructio; qua, hoc morbo correptæ, laborant) ideoque magis apta ad obstructiones referandas; uterina vulgo dicuntur, & sunt ut plurimum graveolentia, ut Rad. allii, ari, aristoloch. utriusque, bryon. Herb. abrot. agerat. arthemis. atripl. olid. botrios, chamædr. chamæpyt. dictamn. cret. hyssop. marrub. matricar. meliss. nepeth. puleg. ruta, sabin. salv. scordium. Flor. chamæmel. crocus, matricar. sem. nepeth. rut. Gum. ammon. animæ, assa fæt. galb. opopanax, sapagen. bdell. mastich. myrrha. Animalium partes, castoreum, moschus (sed quædam fœminæ ejus odorem perferre non possunt, iis itaque non est exhibendus) placenta humana & omnia ejus præparata, ut aq. spir. sal. &c. Marina, ambr. grys. succinum &c.

Ex his jam variæ concinnari possunt formulæ ad scopos prædictos tendentes; ut apozemata, vina medicat. electuaria &c. v. g.

℞ Cortic. Tamarisc.

Lign. sassafr. ana ȝij.

Rad. Imperat. bryon. a. ȝj.

Herb. arthemis. matricar.

meliss. a m. j.

Bacc. lauri, junip. a. ȝs.

Tart. crud. ȝij.

Passul. major. ȝij. infundantur calide per horas decem vel plures in f. q. vin. rhenan. (vel. gal. alb.) dein coquantur leni igne in vase bene clauso. Colat. ȝhv. adde mel. scyllit. ȝij. sal. arthemis. ȝj. sp. sal. armon. ȝs. m. f. Apozema. de quo bibatur haustus calidus. bis terve in die, vacuo ventriculo.

X I I I.

Postquam ægra hoc vel simili decocto per sex vel septem dies usi fuerit, purgatio institui debet, ut humores præparati è corpore eliminentur; ut

℞. Mass.

10 D I S P U T A T I O M E D I C A

R. Mass. pilular. fæt.

coch. min. a. 3j.

f. pil. vij. vel viij. vel
Calamelan. 3L. cum s. q. syr. de arthemis;

R. Mass. pil. hier. cum agar.

coch. maj. a. 3j.

Crem. tart. gr. xii. cum syr. de stechad.
vel arthemis. f. pil. viij.

X I V.

Post purgationem, redat iterum ad usum decocti per quinque vel sex dies: dein secunda vice purgetur; postea perget in usu decocti, & post diem unum aut alterum sudoriferum exhibetur, quod aliquoties postea repetatur, ut sic reliquæ morbi discutiantur. Sudoriferum. tale sit.

R. Theriac. vet. 3j.

Bezoart. min.

Sal. succin. a. gr. xij.

Sp. sal. armon. gt. vi.

Syr. de card. ben. 3ij.

Aq. arthemis. 3ij. vel iij. m. f. haustus.

X V.

Instante dein tempore consueto fluxus menstrui, & sanguine præcedenti modo præparato; exhibeantur quæ menses potenter movent: qualia sunt uterina prædicta: ut

R. Trochisc. de myrrh. 3ij.

Succin. pulv. 3j.

Tart. vitriolat. 3L.

Sp. sabin. q. s. f. pil. viij. duabus vicibus su-
mendæ. vel.

R. Gum. ammon. 3j.

Castor. sal. arthemis. a. 3j. cum tintur.

croc. f. pil. xij. tribus vicibus sumendæ.

Suffumigia etiam hic valde prosunt, ut & clysteres ex uterinis conflati.

X V I.

His tamen aliquando & similibus medicamentis satis efficaci-
bus

bus exhibitis, ægra nihilominus parum levaminis percipit, ex eo quod ratio non habita sit rerum non naturalium, quarum pleraque tanquam hujus morbi causas remotas in thesi 7^a. culpavi.

X V I I.

Aër itaque quantum fieri potest, sit tenuis. Alimenta sint coctu facilia & non nimia quantitate ingesta. Exercitia moderata hic maxime conducunt, sed caveatur a motu nimio præsertim a pastu; unde alimenta e ventriculo expelluntur antequam satis comminuuntur, & in vasa lactea (calore, motum istum in sequente, dilatata) impelluntur; hinc sanguini in corde commixta, affectum hunc adaugent. A quiete nimia quantum fieri potest, abstinendum est. Somnus nimius fugiatur, nec non vigiliæ nimiae. Excreta naturaliter procedant; alvus v.g. libera servetur. Transpiratio promoveatur, ut & fluxus menstruus. Animi denique pathemata, ut mæror & tristitia procul absint, & potius hilaritati studeatur.

X V I I I.

Nec certe hic omittendum est remedium illud ad quod plerque tanquam ad ultimum refugium, felici saepè cum successu, configiunt: viri consuetudinem puta. Si itaque patiens post varia medicamenta exhibita (debemus enim prius medicamentis tentare) parum aut nihil levaminis accepit; ei nuptiæ persuadendæ sunt, si nempe innupta sit (uti utplurimum sunt) & nuptiis apta. Nam præter experientiam (quod scil. paucæ sint quæ hac methodo utuntur & brevi spatio pristinam sanitatem non recuperant) ratio pro hoc militat. spiritus enim semenis masculini per poros uteri & vasorum transiens, & sanguine se miscens, ejus fermentationes alterat, uti testantur symptomata illa, quibus fœminæ post coitum saepè afficiuntur: imo post commotions has sedatas videtur aliam temperiem in sanguine introducere, ut ex obstruktione mensium (quæ postea sequitur) liquet. Præterea amor (qui sine dubio hujus affectus causa saepè existit) nunc finem suum obtinet, hinc magis hilares evadunt; & quantum passiones animi in corpus operantur, unicuique sere notum est.

Fateor quædam sint (uti quidam authores notant) quæ hac methodo non tantum non melius se habent, sed in pejus ruant,
sed

sed tunc morbus absque dubio valde inveteratus est , & uterus
obstructionibus ita obsitus, ut spiritus semenis masculini per ejus
poros in parva quantitate transire potest. pejus vero se habent,
quoniam a frequenti coitu magnum sit dispendium spirituum ,
unde sanguis magis crassus evadit: sed hoc raro accidit.

COROLLARIA.

I.

OMNE animal generatur ex ovo.

II.

Datur indubitata sanguinis circulatio.

III.

Cum purgatio & venæ sectio instituendæ sint , V. se-
ctionem purgationi præmittendam esse rationes sua-
dent.

IV.

Fonticuli & setacea in medicina parvi aut nullius
momenti sunt.

V.

Mammillæ lacte turgentes non sunt indubitatim sig-
num amissæ virginitatis.

VI.

Mola citra viri consuetudinem nunquam generatur.

F I N I S.